

52,981.6

13.

MEMORIAM

PRÆCLARORUM IN INCLUTA RIGA VIRORUM,

Quos,

A solenni Salvatoris natalicio, ad Michaelis Archangeli Festum, Anni salutis nostræ M.DC.LVII. cum

acerbissimo Civitatis luctu, non sine
sinistrò quòdam omine,

seva Mors,

pestiferâ luc, extinxit;

pullatò tenuiq; stylò,


breviter,

ruditer,

adumbrat

HENNINGUS Witte/

Rigenfis.



RIGÆ LIVONUM.

Excudebat ALBERTUS HAKELMAN.

63.

A-5075-129

MAGNIFICORIGENSIUM QUATUOR VIRATUM.
VIRIS,

Eximiò Natalium splendore, Omnium virtutum
decore, ingentium meritorum laude,

EMINENTISSIMIS, AMPLISSIMIS

DDNN:

Dn. JOHANNI von Sngeln/ Hered. in Kollhen/
Burggravio Regio.

Dn. MELCHIORI Fuchs/ S. R. M. ^{ti}s Sueciæ
Portorij Præfecto.

Dn. GEORGIO von Dunte.

Dn. CHRISTOPHORO Rügeman von Eö-
wen/ Stern/ Her. in Schillings & Polmusgutt.
Omnibus & singulis

PATRIÆ

CONSULIBUS BENEMERITISSIMIS,
VIGILANTISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,

Studiorum suorum

PROMOTORIBUS & MOECENATIBUS

Maximis;

Chartaceum Clarissimorum Virorum Colossum,
cum ardentissimò omnigenæ felicitatis votò,

Est. A

subjectâ & submissâ

mente, manu,

sacrum porrigis

AUTOR.

Parte 1000000 Ullstet
Rtamatukogu

9129



Uibus verò lacrumis & Ecclesiæ
& Republicæ nostræ perquam
miserabile fatū deplorabimus?
Quò tandem mentis signò, affli-
ctissimas nostras vices, vehemen-
tissimum animi dolorem, edisse-
remus? Constringit iste in murmure & alto silentio
voces, oculos in abditissimò luctu confundit, lin-
guam, non ligatam aliàs, cohibet, & singula in gut-
ture verbainterrupt. Ante annum mitiore in nos
passu grassabatur fortuna, cum satis acerba nobis
Mars inflixisset vulnera, quorum cicatrices in no-
stro adhuc corpore leguntur: Ecce! novus repentè
luctus oritur, nova nos dilacerat plaga, dum tristis
Libitina, omnia furoris tela colligens, in ipsum Ci-
vitatatis jugulum insurgit, nec satis habens, aliquot
præstantium membrorum cede mortifera tinxisse
spicula; in intima hujus Urbis viscera, in Curix Lu-
mina, in ipsa Templi fulcra, crudelissimè desævit.
Surge RIGA, LIVONIÆ decus, Patria mæstissima!
Surge, & quæ hæctenus tot luctibus, tot calamitati-
bus attrita fuisti; nunc verò ob multorum è Primo-
ribus Patrum excessus ita prostrata jaces, ut nutare
propemodum atq; labescere videaris! Vellem DE-
US immortalis fecisset, ut tot virtutum Exempla-
ria, in Musarum nostrarum æde, in Acröaterio quò-
dam nobili, præsentia cerneremus, quàm acerbè

nobis erepta, lugubri hâc celebratione, laudarem⁹.
Cum verò talia optare potius nobis, quàm sperare
liceat, Pietate adducimur omnes, ut de piè defun-
ctorum meritis, nil nisi sanctè, sentiamus, & fune-
reas faces, honoribus tot maximorum Virorum, in
æternitatis fano, dicatas, accendamus. Vivos illos,
virtutū odore fragrantissimos, salutis publicæ Pa-
rarios, sicut & ego summò profectus sum honore,
eosq; debitò reverentiæ studiò semper colui: ita eo-
rum fata, nunc scriptò quòdam, inconditò licet, ve-
nerari, juvenilis satagit animus. Quamquam non
ignoro, hanc, quam spontè suscepi, provinciam, di-
sertioribus, & promptâ dicendi facultate pollentib⁹
viris longè melius convenire; Sed hujus audaciæ me
facilè impetrare veniam reor, cum ex dicatissimo
Pietatis & Amoris imperio, quicquid in hanc char-
tam conjectum, conjectum sit. Omnium sanè ad-
mirationem, ne stuporem dicam, forsân superare
poterit, tantos, tantillò tempore, tam atroci peste,
occubuisse viros. **THEODORICUS Friedrichs**
(ut hîc inveteratum quodammodo dolorem repli-
cem) ante tres quatuorvè menses Senatoriæ admo-
tus dignitati, primus, Parcarum truculentiâ, (22.
Decemb.) cecidit. Is virtute & honestate insignis,
prudentiæ pariter ac generis laude cumulatus, justiti-
æ amantiſſimus, & naturâ lenis placidusq; fuit. Li-
tes omnes & inutiles contentiones, viperinò cauti⁹
san-

sanguine, aversatus, & versutam illam adulationē,
 cujus initium dissimulare, medium mentiri, finis
 decipere, ex animō detestatus est. Minimè in illo
 morositas aliqua, sed amabilis humanitas, gratum
 illud cum alijs dextrè conversandi studium, præ-
 alijs splendidissimè emicuit. Famam curavit unicè,
 eamq; omnibus Indorum gazis præposuit, quò ipse
 post vitam demum apud bonos inciperet vivere.
 Rem domesticam non neglexit unquam penitus:
 sed exactissimam ejus curam, quantum tamen
 graviores permittebant, habuit. Tandem placidâ
 resolutus morte, ad Triunum DEUM, circa octavâ
 matutinam, cum ante XLVIII. annos, in orbem
 introivisset, ex eodè rursus, eodè fermè die, emi-
 gravit. Et eò etiam feliciter fata detulerunt (23. *Dec-*
semb.) expertæ prudentiæ Virum, DAVIDEM à
 WIEKEN, in Carnau Hereditarium, Regij Dor-
 patensis judicij Assessorem, nec non equestri ordi-
 nis Secretarium, de totâ Livoniâ optimè meritum.
 Qui mentis agilitate, gravissimarum rerum peritiâ,
 mansuetâ affabilitate, singulari industriâ & fide,
 præ multis eminuit. Cum sublimioribus enim sub-
 missè & reverenter, cum paribus sincerè ac candi-
 dè, cum inferioribus blandè comiterquè, cum
 omnibus summâ cum laude, versatus est, nihilq;
 minus, quàm fumos vendere novit. Polyporum
 dicam an Politicorum aliquorum? subtilis admo-

dum; sed & futilis ac inutilis, quâ ad eò intumescent
miseri, sapientia est, ut blandis verborum lenoci-
nijs, & arte Sinoniâ, incautos non rarò capiant,
& ab istis, quod expetunt, scelestè extorqueant. Hos
ille, ceu fidei & Veritatis hostes, studiosè fugit, & e-
jusmodi blanditiarum expertus, Nobilium, quoniam &
Illustrium, Virorum gratiam ac amorem mirum in
modum in se derivavit. Et quâ aliter fieri potuit,
cum geminam sibi concreditam spartâ, incredibi-
li vigilantia, autoritate eximia, prudentia sublimi,
hactenus administraverit? Mortuus itaque; Senex po-
tius, quàm juvenis, si ætatem, non ut vulgo, annis;
sed præclare gestis & virtutibus, quod Heroum est,
metiamur. Hunc (2. *Januar.*) subsequitur M. HIE-
RONYMUS DEPKIN, fidelissimus Sifelgallesis
Ecclesiæ Minister, cujus beata anima, ex immorta-
litate sede, nos omnes ita videtur compellare:
Quàm misera, miseri mortales! vestra omnium vi-
ta est, quæ modò fumus, modò nebula, modò ni-
hil est: nihil certius, quàm certissimam omnium re-
rum fragilitatem, in vastissimâ illâ mundi machinâ,
reperiri, credite! Opes, quid sunt? insidiæ sunt, &
mille periculis exponuntur: Honor & fama quid?
mera sunt insomnia: Juventus temporis fervor; Se-
nectus, morbi pabulum: & omnis humana actio
aëri simillima. Felicem itaque, cui maturè cœlum, in-
finita gaudia, attingere, & citò vanitati valedicere
licet!

licet! Profecto nostrum quisq; cum hospitio mundi excipitur, cum lacrumis excipitur, cum lacrumis extingvitur. Hæc Depkenij umbra. De quo viro Patria sibi gratulata est, quod sublimem ejus geniũ protulerit; Viteberga, quod doctiorem reddiderit; & Sifelgallensis districtus, quod tantum Religionis Antistitem habuerit. Nam, præter solida Theologiæ ac Philosophiæ studia, flexanimam illam rerũq; omnium reginam Eloquentiam non tralatitiè excoluit; Sed hîc fundamenta, seu potius rudimenta, tantummodò posuit, in cælesti Athenæo perficienda, quò, non sine suorum desiderio, ex suo tamẽ voto, translatus est. Paulò post (9. Januar.) nostra Ecclesia SIMONE Mzum **Dahlen**/ ejus Præconem clarissimum amittit. Flagrabat jam dudum ille bonarum artium scientiã, tenebatur peregrinationum ardore totus, & nihil magis in voto habebat, quam varias gentes sub alio sole viventes salutare. Primò igitur Germaniam, postea Angliam, aliasq; regiones, adiit, ibiq; morum suavitate, ac ingenij præstantiã, optimos sibi amicos haud difficilè benevolos reddidit. Excepit redeuntem Patria, ut dilectissimum Filium, sollicita Mater, virumq; ex Leviticã (ut sic dicam) pronatum stirpe, Levitico admovit ordini, & Georgico statim sacrario præfecit. In munere Ecclesiastico quam pulchrè versatus sit, testabuntur, quibus de his judicare concessum est; reliquam

liquam vitam facilè ij, qui honestam Viri notitiam habuerunt, probabunt. Cum verò morbò quòdã implicatus, lecto affigeretur, atq; pristina non posset humanâ ope reparari valetudo, tandem in Christo placidè obdormivit. Utinam ullâ Medentium arte, herbarumq; virtute, vitam semper prolongare possimus, non abscissum esset (*s. Februar.*) nobile illud Curiaë membrum, JOHANNES MAIER. Hic verò Civitatis nostræ lamentor miseriam, quæ Sub-Prætoresuò, magnò suò jubare, heu! præter spem, privatur, & optimum Themidis Sacerdotem, amittit. Rarissimæ enim Viri prudentiæ suavis accedebat affabilitas, affabilitati benignitas, benignitati industria. Autoritatem quidem egregiam; sed majorem Civium amorem, sibi conciliabat, ejusq; virtutes cum literatura de principatu assiduè contēdebant. Aristidem justitiâ, Trajanum humanitate, Catonem ac Pompejum constantiâ, & in Patriam charitate Cononem superabat. Memini, hostes cū nostra mænia bellò cingerent, quod ille, cū fortissimo Atheniensis dūce, non quæsierit, ubi ipse tutò viveret; sed unde præsidio esset civibus. Talia nobiscum altius cogitantes, non possumus non in lacrimas solvi largissimas, cum nimis maturè, si annos præsertim & desideria omnium consideramus, diè supremum obierit. Sed absint à vultu næniæ tristes & querimonix! ad majora natus fuit, quàm ut terræ

servi-

serviret; cœnum cum cœlo, gurgustij hujus angustias cum augustâ cœli regiâ, permutavit. Exeundum itidem fuit de vitâ (10. Februar.) M. HERMANNO PROEBSTINGIO, in Ecclesiâ nostrâ Concionatori vigilantissimo. Qui antiqvx Virtutis exemplû, eximium Pietatis speculum, & infucatæ fidei imaginem, omnibus hætenus suppeditavit. In clarissimis Academijs, ex fœcundissimis cœlestium doctrinarum rivulis, suavissimum purissimæ religionis mulsam, maximâ cum voluptate, majori etiam fructu, in se derivavit. Hinc tantus deinceps factus est, ut ab omnibus magnam candoris & industriæ, magnam facundiæ, magnam parrhesiæ laudem consequeretur. Ut candela ardens, dum lucem alijs confert, consumitur: Sic ille non sibi suisq; vixit; sed publicæ luci expositus, nihil intermisit, quod ad Auditorum commodum, & propagandam Pietatem pertinere videbatur. Mortalitem quidem nunc, jubente Deo, deposuit; minimè tamen mortuus, qui in animis cordibusq; hominum, dum erunt homines, conservabitur. Ecce! novum oportet denudare vulnus, quod M. JOHANNES HARTMANNUS, Archidiaconus, nobis (10. Febr.) graviter dederat. Is profecto, non tantum meô; sed communi omnium Civium calculô, præsertim si illius antehac habitas conciones, si saluberrima monita, in memoriam paulisper revocamus, deflê-

duſ eſt: Si indefeſſas, pro incolumitate Patriæ, pro bonis omnibus, preces & ſuſpiria ardentiffima deſideramus, deſcendus eſt: ſi totius Civitatis exſpectationem de ipſo commemoramus, utiq; deſcendus eſt. Quantis enim coloribus ſeculi labem actabem, atrociffima illa vitia, quæ in noſtrâ hinc inde Politiâ graſſabantur, depingebat? Nonne tot abhinc annos ſævam armorum rabiem, & crudeliſſimorum morborum genera, ceu peccatorum noſtrorum vindices, nunciabat? Quapropter ſi humanis omnia continerentur votis, optarem omnes, ut nunquam veniſſet hora, quæ laudabilem Verbi divini Miniſtrum oſtendiſſet mortalem! Sed in hanc neceſſitatem natus fuit, ut aliquando moreretur, ita mortuus, ut ejus vita minimè mori videretur, & ipſa mors omnibus appareret immortalis. M. JACOBUS LÜDINGHAUSEN, Löddigerenſis Eccleſiaſtes, Vir illibati nominis & famæ, miſerrimò corpusculi hujus ergaſtulò etiam feliciter (20. Febr.) liberatur. Illum, quem grata morum modeſtia, amæniores literaturæ, & mellea oris ſvavitas, extra omnem inconstantia & levitatis aleam, poſuerant, fata ſuperſeſſe noluerunt. Juventutem itaq; & lubricos ætatis annos laudent in illo, quorù inſpectioni atq; curæ olim fuit traditus: Accuſent Parcas alij, quod præter uſitatum naturæ ordinem Virum-juvenem, viribus & corporis robore vegetum

tum viridemq; sustulerint. Deplorent alij, quod eò, qui magnum familiæ suæ splendorem intulit, post hac destituantur. Ego verò humanam ejus humilitatem, & humilem humanitatem, satis de prædicare non possum. Sæpius enim incertum fuit, an in eo ab humanitate differret natura? Quapropter maturius cælo redditus est, ut perfectâ æternâq; lætitiâ fruatur. Progredior nunc ad alium insignem illius ordinis virum, dum properatum M. THOMÆ **Schulgen** in districtu Babitensi Pastoris eximij, obitum (28. April.) cum largissimis revolve lacrumis. Quantus etenim fuerit in concionando, cum gemitu & suspirijs Patriæ Cives & incolæ omnes recordantur: Qualis in conversando, quàm plurimi hæc in urbe, non sine gravissimo mentis luctu, testantur. Quantus in bonis artibus ac disciplinis, non nisi exquisitè docti possunt judicare. Præcipuè verò quàm strenuè Mathematicum studijs insudaverit, egregia illius opera, quæ invictò labore, & industriâ inusitatâ concinnavit, minimè silent. Aliqui ex nostratribus insolitam eruditionem, perspicuitatem in docendo singularem, ex istò, quod instituerat, Geometricò Collegiò, ad stuporem usq; admirati, usum illius adhuc uberrimè sentiunt. At, ô lubrica ac vana mortalium vota! inter sublimiores & subtiliores rerum Geodæticarum meditationes repente, quantâ nostrorum consternatione? fatò nobis ere-

ptus est. Exhalavit itaq; animam, DEO Creatori suo ardentissimis eam precibus commendans, cum XXXVI. annum ageret, qui ob illustrissimas literas integra secula vivere dignus pridem videbatur. Sed, ô Deus! quid populo tuo minaris? Portum an submerisionem? iterum æquor surgit, & absorbet (7. Maij) Senatus nostri corculum, GERHARDUM AB ULENBROCK, virum antiquâ Consulium familiaria & rerum gerendarum dexteritate, conspicuum. Magnus quidem ille prudentiâ, magnus majorum insignibus; sed in eo verè maximus fuit, quod Avorum virtutes, si non supergressus, omnes tamen ex asse æquaverit. Quoties enim civibus & amicis cõsilia, incredibili fide, suppeditavit, ut, qui non astate, libentissimè sententiâ, ei cederent? Quis præterea hujus Senatoris abstinentiam, quis summam animi lenitatem, quis laudabilem æquitatem satis, & ut par est, enarret? Quis, quæso, singularem ejus facundiam, candorem illum mentis rarissimum, & devotum supremi Numinis cultum, eâ, quâ decet, dignitate, celebret? Nos cum tot maximas intuemur virtutes, eum non nostri seculi hominem; sed potius ex prisca & aureâ illâ ætate ad nos dimissum, putamus. Plus itaq; cogitationibus & famæ, quàm sermoni & calamo, relinquendum est. Interim hunc & CONRADUM RIGEMANNUM, dignissimum Reipubl. nostræ Senatorem (19. Jun.)
huma-

desiâ viri, excepit. Fuit ille doctrinâ pariter ac vitâ
verè Christianus, doctus egregiè, admodum facilis
in docendo, in movendo felix, & in reliquis officij
partibus obeundis diligens semper & industrius.
Et hoc à Doctõribus suis, in famosissimò præser-
tim Saxonix Lycéo, habuit, quorum vel nudus in-
tuitus, ad egregia quæq; capeßenda, Beatum mi-
rum quantum instigavit. Hausit igitur ex his fonti-
b⁹ purissimis solidâ Theologiæ scientiâ; sed ita hau-
sit, ne Philosophorû rivulos siccò præteriret pedes;
sed in utrisq; largiter desudavit, quò industriæ suæ
non vulgaria olim, è sacra Cathedra, experimenta
Auditorib⁹ daret. Dedit quoq; feliciter, at velociter
finè rursus concionibus suis imposuit, cum, jubè-
te Triunò, ad purissima cæli gaudia, ad mille Ange-
lorum conventus suavissimos, evocatus fuerit. Bre-
vi hunc intervallo (28. Jun.) secutus est, M. MAT-
THIAS RELANDUS, in Cathedrali æde Pastor
clarissimus. Quispiam verò non immeritò alternis
hîc judicijs ambigat, an gravitate morum ille insi-
gnior, promptior industria, pietate ardentior, erudi-
tione clarior? Qui, maternò propè cum lacte, virtu-
tem, quæ odorem suum in omnem usq; vitam ser-
vat, hausit, cum ætate corroboravit, & hinc tenera
se ætate per amabilem adolescentulum, virum tan-
dem multis nominibus insignem, exhibuit. Con-
ciones, quas habuit, restantur: ægroti, quos solidò
Dei verbò toties crexit, confirmant: pauperes, quos

suò ære ditavit, sciunt, qv̄antus fuerit. Nunc, placidissimâ morte extinctum, omnes simul lugent, cū cunctis prodesset, noceret nemini, qv̄ia bonus, non poterat. Iterum Ecclesia M. DAVIDEM CALEN, vix inter Ejus ministros receptum, tristi funestôq; fatô (*4. Jul.*) amittit. Hunc una Sabbathi Lux Mystâ constituit, altera (ah flebile munus!) animam â corpore divellit. Cadit heu! in qvo hereditaria Patris Vir^o vivebat: Cadit heu! qvi sv̄avissimū exantlati laboris fructum jam demum carpiebat: Cadit heu! candida fides, illustris Pietas, humanissima literatura, cadunt omnia, qv̄æ omnes meritò admirantur. Avaritiam ille nullam amavit unqv̄am, nisi avidissimè temporis: Contentus facilè suâ sorte, fiditissimum Cœli Monarcham amicum haberet: in florentissimâ adhuc ætate constitutus, senili gaudebat prudentiâ; Sed dolore ego animi, arctissimâquè Affinitatis conjunctione, impediòr, qv̄ò minus de hujus cū vitâ, tūm immaturo obitu, plura dicam. Non possum, qv̄in hîc qvoq; virum de ludo literario optimè meritum, Præceptorem qvondam meum, M. AGGÆUM FRIDERICI, Professore Græcæ Lingvæ, Scholæq; apud nos Rectorem diligentem, fidum, industrium producam. Hôc præsertim nomine felicem, qv̄od diuturnos istos labores, qvos per annos XLII. cum laude sustinuit, in discipulis non irritos fuisse expertus est. Nonne

eximiâ voluptate afficitur hortulanus, cum arbo-
res suâ manu insitas producere flores fructusq; vi-
det? Quantam verò delectationem Præceptores ca-
piunt, cum suas (ut ita dicam) plantulas, in tem-
plis, in scholis, in Principum cancellis, in Rerum-
publicarum curiis, fructus proferentes copiosissi-
mos intuentur. Patriam ej Frisia dedit Orientalis,
ingenio ut erat non vulgari, in illustribus commo-
ratus Academijs, celebratissimos viros, passim egre-
giè docentes, vidit, audivit, & inde sibi splendidissi-
mas eruditionis opes comparavit. Tandem inter
multiplicata Livonicæ gentis funera, cum optatū
vitæ finem obtinisset, è scholastico pulvere, in pu-
rissimam cœli aream (*s. Jul.*) translatus est. Ecce no-
vam in Ecclesia cladem! M. JOHANNES BRE-
MERUS, Ecclesiastes disertissimus, Templi splen-
dor, Patriæ gloria, Gratiarum corculum, heu do-
lor! (*s. Jul.*) extingvitur. Quô vix aliquis amabilior,
doctior, præprimis, si exactissimam Orientalium
linguarum cognitionem spectemus. Tantus enim
in ijs piè defunctus, ut paucos arbitremur reperire,
qui in hisce lingvis paria hîc cum ipso facere potue-
rint. Sciverat enim ille, qui non parum sciverat, sa-
crum, sine his subsidijs, non adeò feliciter tractari
posse studium; verum huic, tanquam domino, il-
las maximè inservire. Dexter præterea in moven-
bo, acer in judicando, apertus in monèdo, & quod
caput

caput, in Pietate ardentissimus dum fuit, fuit egregie. Non impræsentiarum ejus in vitâ civili humanam amabilitatem, non amabilem humanitatem, non immobilem in adversis constantiam, multis enarrabo. Hoc ipsum enim fatum, quod illum percussit, etiam Pastorem hujus urbis primarium, Senem scilicet venerabilem, M. SCHOTTONEM CALEN, (10. Jul.) afflixit. Quanta huic Seni in animo probitas, columbina in sermone simplicitas, in actionibus candor, in alloquio comitas? quantus in omni vitâ Pietatis amor, afferendæ Veritatis fides, propagandæ religionis Zelus, puritatis conservandæ cura extitit? Actiones omnes (citra palpum dico) ad conciones suas; conciones ad sacrarum literarum normam, unice dirigebat. Ut picturæ pretium, non color, non magnitudo; sed imaginis elegantia, constituit: sic Concionatorem, non inanis splendor & apparatus; sed inculpata vitæ morumque integritas. Quàm pulcrum itaque; si dicentis oratio cum vita congruat! At verò quàm turpe, si una ab alterâ discrepet! Quid enim lingua sine vita? quid Eloquentia, si quod unâ struitur manu, alterâ diruatur? Nunc vicissim mortifera Curiam petunt tela, ejusque columnam fortissimam, MAURITIUM HELMES, in utrâque fortunâ constantem (23. Jul.) prosternit. Quid autem de hujus amplissimi Senatoris laude, qui omnem titulorum pompam videtur supergressus,

sus, proferam? Duo, gemmularum instar, mirificè
in eo merentur gloriam, ut cætera omnia, brevitatis
causâ, nunc latere patiar, quæ eidem cum bonis Pa-
triotis communia semper fuère: Pietatis nempe ju-
stitiæq; studium. O mellitissimam harmoniam,
quæ hominem cum homine, hominem cum Deo
arctissimè conjungit! Has etenim geminas quasi fa-
ces, quis in illo viro non miratus est? Sciunt, suò quos
præsidio sublevavit, innocentes: Sciunt, in scelerum
cursu quos compescuit, conclamati nebulones: Sci-
unt, quos cum muneribus toties ablegavit, Medææ
cultores. Et ut unò dicam verbò: Vixit semper
Deo, qui auctor vitæ; vixit conscientiæ, quæ vita vitæ
est; vixit famæ, quæ nunc vita post vitam ejus ma-
net; Sed revoeat calamum, optimus ille Divini ver-
bi Præco, M. PETRUS BAUER, in Templo Ca-
thedrali Pastor quondam vigilantissimus, quem ut
gratâ quoq; prosequar memoriâ, omnes me Musæ
jubent. Verum idem hîc dolor, qui me paulò ante
brevem fecit, elinguem plane hîc mutumq; reddit.
Vos, vos ego appello, qui frequentissimè Beati con-
cionibus interfuisstis, qui attoniti penè ab ore ejus to-
ties pependistis! Testor vos, sanctissima Patriæ tem-
pla, in quibus viginti, & quod excedit, annos, lau-
dabili parrhesiâ, nervosâ svavitate, gratissimâ facû-
diâ, non sine Auditorû lucro, concionatus est! Eum
itaq; meritò coluit Urbis hujus Senatus, Venerati
sunt

sunt docti, prudentes, & cordati Viri omnes.
 Dignus dudum, communi calculô, trium Nesto-
 rum ætatem vivere, si Deo ita visum; sed, ô inania
 mortalium Vota! ô lubrica humanæ vitæ curricu-
 la! Redditum cœlo (26. Jul.) quod inde traxerat ori-
 ginem, & terris fata tantum commodârunt. Quis
 interim nostrum tam duri pectoris, qui tot clarissi-
 morum hominum cladibus non moveatur? Quis
 adeò securus & ferreus, qui tot Civitatis firmamê-
 ta subruï, tot ejus sidera extingui, indies cum videat,
 non ingemiscat? Hæc eadem septimana (30. Jul.) E-
 BERHARDUM **Witten** in tantum laudandû,
 in quantum Senatoria Virtus ac Probitas laudari pos-
 sunt, sustulit. Sustulit, qui omnibus æquè jus admi-
 nistravit, qui neminem affecit unquam injuriâ, qui
 re & nomine candidus, apertus, sincerus fuit: Sustu-
 lit sedulum publicæ salutis Curatorem: Sustulit in-
 fucatæ fidei speculum, & providum Patrem-fami-
 lias sustulit. Virtutis comes honor cum esse solet,
 & hic illam, sicut umbra solem, â tergo comitetur,
 ille in majori Civium collegio Tribunus eligitur,
 mox ad Curiæ Subsellia, ad amplissima munia, eve-
 hitur. Quæ tantâ gravitate, summâ prudentiâ, fide
 singulari, gessit, ut in ijs omnibus, omni profus va-
 care notâ videretur. Hunc quoq; vitæ mimum M.
 JUSTUS BISEMWINCKEL, Archidiaconus, in
 ipso virilium annorum, studiiq; Homiletici, flore

(30. Jul.) lusit. Fuit in eo profectò maxima, si in quo-
piam, Pietas in Deum pariter ac homines, quos, qui
negligit, in illum revera pius non erit. Desiderat hîc
aliquis ampliora? ne tantoperè desideret, cum san-
ctissima hæc Pietas non tantummodò fundamen-
tum; sed & ornamentum reliquarû virtutû omniû
optimò jure habeatur. Pietatis enim ac veræ religi-
onis cultori in egenos & pauperes, pro facultate, li-
beralior paululum animus, & manus ad extorres
atq; exules plerumq; proclivior esse solet. Insuper
in proximos non iniquus, non morosus, non fervi-
dus est facilè, qui ex toto supremum veneratur Num-
men. Tandem veræ Pietatis Amasius nunquã Ve-
neris castra, gulæ mæcipia, aliaq; flagitia gravissima,
sequetur. Dicam ergo in illo Bisemvvinckelio uni-
cè Pietatem, tanquam in augustissimò quòdam Pa-
latiò resedisse Quid hîc præclarius encomiò? Quid
Ecclesiasticò dignius homine dici ac prædicari po-
test? Sed ah! qui vix concionari in nostrâ cæperat Ec-
clesiâ, jam cogitur conciones habendi finem facere,
& eadem ipsum moriendi necessitas, quæ vilissimû
quemq; involvit. Et ut nullus amplius ordo, nullus
status restet, quem nobili quòdam funere, illa præ-
datrix vitæ Mors, non polluerit, ecce! REINHOL-
DUM à MITTENDORE, Doctorem in utraq; què
Medicina excellentem (3. Aug.) extinguit. Cujus in-
dustriam, fidem, experientiam, non pauci hac in
urbe

urbe, ingenti suô cum commodô, deprædicât. Hic
antequam medêdi arti operam dedisset, per omnes
liberales artes nec non cardinales linguas, laudabili
impetu, grassatus, eam sibi eruditionis suppellecti-
lem comparavit, ut Magisterij Philosophici Laure-
am, solenni ritu & applausu, impetraret. Quod e-
ruditi laboris brabeum cum reportasset, pari studi-
ô, majori etiam contentione, ad Medicinam pro-
cessit. in quâ publicè, cum æternâ nominis gloriâ,
Doctôris titulum atq; insignia consecutus est. Po-
stea in Patriâ rediit; eidemq; exquisitissimis ægro-
torum curationibus, & felici artis tractatione, peri-
tiam suam spectatam atq; probatam reddidit. Cõ-
stitutus dein eps ab Amplissimo Senatu Poliater, ni-
hil intermisit, quod ad felicem morborum curam
faceret. Sed cum a summo Numine constitutum
esset, ut CL. ille, ut cum Poëris loquar, morborum
artifex, morbô tandem acutissimô ipse occumbe-
ret, nihil potentium pharmacorum, operosissimæ
licet, vires valuerunt. Abiit itaq; ê mortalium contu-
bernio, eô quidê tempore, cû longè plurimi magna
ab eo vitæ suæ præsidia expectabant. Novum ite-
rum, nec leve vulnus, quod ex obitu funestissimo
HERMANNI MEINERS, in medio floridissimi
ævi cursu constituti, & spectabili Jure Consultorû
ordini & toti Reipublicæ (*s. Aug.*) infligitur. Cui
splendidissima p. m. Patris merita, singularis indol-
les,

Ies, felix arduarū rerum prudentia, Secretarii munus acquisiverunt, unicō tantum Mortis ictu, non ita pridem cecidit. Hujus sanè pereximia, nec satis laudata Virtus, non per Senatorum modò subsellia, secūdō semper rumore, vecta est; sed ipsa Magnatum palatia, regiam præcipuè Suecorum aulam, jã dudum pervasit. Ipse hereditarijs insistens vestigijs, qv̄icquid peregit hæctenus, fide, solertiã, ac dexteritate tantã, peregit, ut nihil magis in votis haberet Senatus, qv̄am fidelissimã ejus operã diutius frui; Quippe qv̄am Patriæ, cui natus & ab incunabulis destinatus erat, perutilem esse, & minanti ruinam familiæ fortissimum subdere fulcrum posse, intellexit. At, ô irrecuperabilem tantæ spei jacturam! Unicus Beati Pro Consulis Filius, vix tricesimum vitæ annū moriens excessit, qv̄i meritò septuagenariō, qv̄ò Genitoris ætas, qv̄ò bonorum vota, aspirabãt, major esse debuisset. Idem præterea fulmen (7. Aug) tetigit Senatorij rursus ordinis Virum, fidei & diligentia laude cum primis præstantē, **CASPARUM Gansfau.** Cujus excessus, utrum lamentis atq; planctibus, an applausu & solenni gratulatione, prosequendus sit, nemo non mecum dubitabit? Quid enim gravius ac tristius, tristi hæc Civitatis facie, accidere potest, qv̄am inter decumanos exquisitissimorum cruciatuum fluctus, inter crebriores & toties iteratas celebriorum virorum exequias, miseram

feram diutius vitam ducere? Nautæ, fracto maris laboribus, & diuturnis tempestatum periculis jactato, in portu gratulamur. Quid aliud homini continuis molestiis, ærumnis ac doloribus defatigato, in tutissimo cœli portu constituto, præstare tenemur? Verum enim verò, quum sagaci reputamus animò, improbam Viri in curandis Patriæ commodis industriam, solertissimam in omnib⁹ officij partibus vigilantiam, dolori vix frenum injicere, & ab acerbissimo luctu temperare licebit. Sed cum Deo ita placuerit, ut mundo egrederetur, in benignissima ejus voluntate nobis acquiescendum, & supplicibus votis orandum est, ut reliqvas stantes adhuc Patriæ columnas, nullâ Mortis sævitiâ, patiatur amplius prorui! At nondum Altissimi iram placare, nondum manum tot longiori vitâ dignissima capita ferientem delinire licuit, ecce! denuò abeunt duo florentissimi & egregij viri, VINCENTIUS FUCHS, Reipb Rigenſis Secretarius (19. August.) & M. MICHAEL MEI, Templi Cathedralis Diaconus (23. Aug.) quibus ætas, corporis statura, scientiæ, æqualia fuère. Humanitatis encomium par, ambo temperantiæ studio claruêrunt. Inde uterq; sibi ditissimam gloriæ segetem, secundante cœlò, comite virtute, comparavit; sed status alij alius. Ille enim inter Curiæ secreta, inter publica Civium dissidia; Hic inter vetustissimos sacrarum literarû inter-

terpretes, inter sacri ordinis viros, cotidie versabatur: Ille eleganter scribendo literas, forenses prudenter observando controversias, famam extendebat; Hic sacras habendo conciones, ægros animose solatia suppeditando, gloriam acq̄virebat nobilissimam: Alius immoderati nihil appetebat; alius nihil laboris recusabat: Alterius grata humilitas in amorem sui multos rapiebat; alterius gravis modestia omnium favorem haud difficulter eliciebat. Cæterum in utroq̄; promptus erat salutem publicam promovendi animus, eadem utriq̄; Pietatis cura, ut, his aliisq̄; virtutibus gemini, in sedulâ officiorum administratione plurimum prodesse potuissent Patriæ, si huic & illi vitam diuturniorem Omnipotens concedere voluisset. Ille enim nondum anni, hinc vix unius Mensis spatio, publicam gessit personam. O vanæ hominum cogitationes! Quis non dixerit, ambos nunc demum vitæ hujus filum, ut Poëtæ narrant, formosissimò annorum vere, fortiùs ducere debuisset? Aliter tamen visum fuit unico humanarum rerum arbitro. Utinam verò Colophonè hinc fata malis imposuissent, meus præsertim (ut domesticas publicis subjungam calamitates) ingentibus hætenus luctibus planè obrutus, nunc tot⁹ non liqueceret animus! Fratris eheu! carissimi, JOHANNIS Witten/ veriùs Patris, quoq̄; exuvias (27. Augusti.) ad Johanniticum quietorium, inter gemitus

mitus deduximus & comitati sumus. Cujus præ-
maturum, sine amarissimo mentis sensu, decessum
meminisse non possum, adeò, ut nec in Beati laudes
excurrere liceat, nisi lacrumis fundendis, quam lau-
dibus enarrandis, disertior esse velim. Dicant itaq;
alij, quò ille animò, quâ fidelitate, in Rem consuluerit
publicam: proferant, qui ejus vigilem in omni
negotio solertiã, & quantũ seliterarũ, & præprimis
Antiquitatis (quod ex egregijs istis, utinam quoq; fi-
nitis! in a dornandâ Livonicarum rerum Historiã,
laboribus quodammodo patet) & Romanæ Lin-
guæ, studio addixerit, observârunt: Testetur ipsa tã-
dem Curia, quæ providissimò privatur Senatore.
Coronidis autem locò, in piè defuncti laudem, ea
tantummodò adjicio, quæ toties meis vidi oculis,
quod manè & vesperi cum suis frequētissimè, & quã-
tum aliàs à deman dati muneris actibus vacaret, pre-
cibus & rerum ad animæ curam pertinentium scru-
tinio, religiosè admodum donaverit. Sed quis talia
fando temperet à lacrumis? liceat mihi cum prudē-
tissimo Vate exclamare, cum de meo, heu olim! Fra-
tre cogito. Interim Tibi, Desideratissime, qui bea-
tissimâ Tibi, quāquam & luctuosissimâ Tuis mor-
te, mundana cum cœlo quā felicissimè commu-
tasti, gratulor; Ad CHRISTI usq; adventum tua os-
sa sepulcrum molliter conservet, ex animo, & mecũ
omnes boni, precor! Sed atrox adhuc Mortis tru-

culentia, vicissitudine quâdam miserabili, à Senato-
rio, ad Ecclesiasticum procedit ordinem, & perexi-
mum M. GEORGIUM VON DAMM, in æde Jo-
hannis Diaconum, eodē morbi genere, quod mul-
ta hætenus capita dejecit (12. Septemb.) extingvit. In
quo sincera in mente probitas, probata in laboribus
industria, singularis in morib⁹ elegantia, & infuca-
tus in actionibus candor, tanquam in speculo, ap-
paruerūt splendidissimè. Verum ubi nunc, Defun-
cte, Probitatem, Industriam, Elegantiã ac Candorē
Tuum, virtutes seculi rarissimas, inveniam? Gelidò
sub tumultò & tenebrosis terræ latebris in perpetuū
hæc obdormient? Sub pulvere ista, quæ exquisita fu-
it, eruditio defossa posthac jacebit? ô crudelē & nefa-
riam Libitinam! quæ unius tantum anni maritum,
vix duorum Mensium Concionatorem, nobis eri-
puit. Dura profectò & infauusta planè dies, quæ virū
ætate validum, donis præclarum, indole optimum,
& officiosum naturâ, nimis maturè Patriæ ademit!
At minimè ademit, quod Redemptori suo, vitæ Re-
gi ac Domino; redditum est. Restat nunc, ut & per-
fectissimas illius virtutes, in sacro famæ fano, contē-
plemur, qui infinitis magnum hunc Livoniæ Du-
catum meritis implevit, sibiq; mirificè obstrinxit.
Is verò fuit PAULUS ABHELMERSEN, in Serbi-
gal, Testama, Grundsal & Tegas hereditarius, S.^æ
R.^æ M.^{is} Sueciæ Consiliari⁹ hujus Livonici status fi-
delis.

delissimus. Quis raram atq; excellentē gravissimarū rerum scientiam, quis incredibilē & Civilis, & publici juris peritiam, quis illum quasi indomitum æquitatis & justitiæ ardorem, in illo non mirat⁹ & veneratus est? Hoc unice, ad ultimum usq; vitæ halitum, strenueq; operā dedit, ne quid detrimenti Patria unquam caperet. Huc ergo consilia, huc vota atq; preces, tanquam ad scopum intentē præfixum, collineabant. Preces dico: sciverat enim piè denat⁹, non parum quidem ad res feliciter gerendas, humanam prudentiam, solertiam, judicijq; acumen atq; temporis opportunitatem facere; sed nihil horum ex voto succedere, nisi prius summi Numinis opem devotē inpetraverimus. Quantā cæterum innocentia, fide, probitate, quam & inusitatā animi sagacitate, in omnibus suis rebus versatus sit, norunt, qui tāti Viri actiones norunt. Quanquam indies tot publicorum officiorū labores sustineret, neminem tamen ab eo consilia atq; opera serio ambientem, inauditum dimittebat. Quid? quod hujus Consiliarij animus, quō fidem erga Serenissimum nostrum Dominum atq; Regem declaravit, cū semper aliās, tūm ex quo crudelissimus hostis hanc obsedit Civitatem, maximē conspicuus fuit. Quocirca, cum toties de rebus non parvi momenti, nomine Potētissimi Suecorum Regis, Celsissimo Curlādiæ & Semigalliæ Duci, aliquid fuit proponendum, propo-

fuit HELMERSEN. Cum paucos ab hinc annos, in magno Lithuaniae Ducatu, excellētes viri omnes, Regio nostro exercitui juberētur interesse, interfuit HELMERSEN. Cum ad conventus, ut de hostilibus, inter gloriosissimum Regem Regnumq; Sueciae, & magnum Moschorum Ducem, armis seponendis consultarent, nonnulli designarentur, designatus est HELMERSEN. Essent sanè multa alia commemoratu dignissima; sed ea singulatim, ut quidem Defuncti Virtus abundè promeruit, nunc afferre, nec instituti ratio, nec parva capit pagina. Hoc tamen quàm maximè dolendum, quod extra urbem, nec in suâ domo; sed ruri, ut tum temporis favientis morbi malignitas poposcit, diem (19. Aug.) obierit. Et obiit, ætatis anno LV. inter medias preces, summo cum adstantium luctu, & omniū, quos Suecia, quos Livonia & Esthonia amplectitur, desiderio. Hactenus eorum memoriam, qui cum immortali nominis gloriâ, Ecclesiae & Reipubl. præfuerunt, nostrâ qualicunq; laude; sed per capita modò, exornare conati sumus. Si verò præstantissimos illos Utriusq; Civium Collegij Tribunos ac Seniores, eodem tempore denatos, adjicerem, & prolixò encomiò bearè, quanta hæc res esset operæ? Omnes, omnes Pietate, meritis, geniò, genere, morib⁹, honestate, aliisq; virtutibus insignes, eximiè mortaliū commoda hucusq; promoverunt. Majoris Collegij

gij p. t. **Tribunus erat CASPARUS Schulsei**
 vir eò honore satis dignus. Modestiâ enim, sobrieta-
 te, integritate ac prudentiâ, Civitatem jam dudum
 devinxit sibi arctissimè, ita ut Cives talem diu opta-
 verint habere Tribunum, quâle cum illo amiserunt.
 Publico inserviendi bono studiosissim⁹ semper ex-
 titit, nec quicquam intermittere, quod Politix spe-
 ctaret emolumentum, unquam voluit, unquã, quia
 bonus, potuit. Quid mirum, si post mortem ingen-
 tem Civium mœrorem excitavit? Ipsius Assessores
 gravissimos itidem mors non paucos; sed penè o-
 mnes, eò, quò ponentur ordine, abstulit; viros nem-
 pe Nobilitate, prudētia laude, & rei mercatorix pe-
 ritiâ, florentissimos: **JOH. RIGEMAN: ARNOL-
 DUM SAMSONIUM: CONRADUM RIGE-
 MAN, Seniore: THOM. MEIER: ANTONI-
 UM RECKMAN: PALM. RIGEMAN: JOHAN.
 FUHRMAN: BALTH. BENKENDORF: HER-
 MANNUM RÖTELSDORF: HENRICUM à
 FLYGELN: GERHARDUM MANEKEN:
 PAUL. BROKHAUSEN: CASP. FRIDERICHS:
 JOH. ÖTTING: HERMAN. WITTE: JOACH.
 BEKE.** Minoris verò Antistites, in quos eadem, si
 non crudelior, fati inclementia huc usq; sæviit, præ
 cæteris fuerunt: **JOH. WELSCH: JOH. RÖSE-
 LER: ULRICUS BAUER,** omnes & singuli Cives
 integerrimi, industriâ, priscâ fide, & candore claris-

simi, qui honestissimo addicti opificio, singularem
ac pereximiam seræ posteritati post se reliquerūt fa-
mam. Horum trium-Virorum, qui successu quō-
dam, supremum apud nos opificum honorem cō-
secuti, in eo præsertim felicitas consistit, quod ne-
mini inter suos gravitate, rerum usu, & artificio ces-
serint. His accedunt ejusdem Collegii Seniores, viri
pariter Pietatis cultu, & honestatis studio, famige-
ratissimi: FRIDER. ELVERS: HERM. MEJER:
JOH. STEFFENS: HENR. PÖRTNER: BERN.
HERMELING: JOH. KENLER; JOH. SEH-
MAN: GERH. HIBERS: MART. LENTZ: JOH.
LINDEMAN: JOH. GRAVE: HENR. BERENS:
GEORG. DEHN: CHRISTIAN. SCHRÖDER:
PET. GLESER: ARNOLD. HÖVEL: HENR.
SCHMISING: SILVESTER SCHITZ: JOACH.
SEVER: JOH. HARTKOP: ANDR. BRUVER:
JOSEPH. KÖNING: MICH. DEPENBROCK.
His subjungimus meritò laudatissimos celebris
τῶν μελωνοκράτων sodalitiij Tribunos, viros-juvenes
probatâ itidem virtutum integritate, rerum indu-
striâ, & negotiorum usu, conspicuos: JOH. RIGE-
MAN: CASP. LITKENS: JOH. KÖNING.
HENRICUM FRELING: JOH. WITTE, qui ex
humanâ in Angelorum translati societatem, in fini-
ta exspectant gaudia, imo plenissimè jam possident.
Et ne Gymnasij nostri Alumnes silentio hîc præter-
eam,

eam, duodecim ex illis, strenuos nempe Virtutum
Satellites, optimarum artium Amasios, Rigenses
plerosq; , omnes in maximam spem natos, Parca,
heu minimè Parca! nuper rapuit. Quid verò Schola
nostra trivialis, singulare illud Spiritus Sancti domi-
cilium, ex quo, tanquam ex eqvo Trajano, tot egre-
gij semper Adolescentes prodierunt? Raritatem do-
centium ac discipulorum procul dubio adhuc acerbis
deplorat lacrimis, dum tres fidelissimos Præcepto-
res, & centum ac quinquaginta tres (quantò cum
Reipublicæ incommodò!) pueros brevi amisit.
Quot præterea devotissimos Senes, bonos Patriæ Ci-
ves, mercatores peritos, laboriosos opifices; quot
honestissimas Matronas, pulcerrimas puellas, ro-
bustissimos juvenes, suavissimos infantes, tantillo
tempore, proh dolor! amisimus, vel potius præmi-
simus? Horret profectò animus, & vox faucib⁹ hæ-
ret, cum miserrimum illud tempus paulisper nobis
ante oculos statuimus. Supplices itaq; DEUM, Ci-
vitatibus nostræ Præsidentem, veneramur, ut periculosis-
sima ac tristitia quæq; à nobis clementissimè avertat,
suspirantem ac vacillantem Patriam, post tot supe-
ratos calamitatum fluctus, fulciat tandem atq; sta-
biliat! Minus sanè dextrò omine tot cummulata præ-
minentium virorum funera nunquam non carue-
runt, ut timendum sit, ne nostra quantum ad
huc omnium felicitas, hòc turbine rerum, hâc gra-
vissimâ

vissimâ pestis hujus radie, & inenarrabili extincto-
rum hominum multitudine, tota tandem, quod ta-
men Ter Opt. benignissimè avertat! extingvatur.
Quapropter magna omnibus incūbit devotè pre-
candi necessitas, ut Cœlestis ille Parens, stâtes hujus
Emporij Atlantes, Patres optimos, Ecclesiæ Antisti-
tes, divini verbi Ministros, utriusq; Civium Colle-
gij Tribunos cum Senioribus, imò omnes Cives &
hanc ipsam Regiam RIGAM, curæ tibi habeat ex-
qvissimâ! In secula duret apud nos sâctissima Re-
ligio! Vigeat intra Livoniæ circulum, & in primis in
Celeberrimâ nostrâ Civitate, perpetuus justitiæ vi-
gor! Floreant pristina, ut multa hominū millia hîc
degere possint, commercia! Redeat aurea Pax, Pax
dulcissima, Pax desideratissima! Redeant sanæ in
corpore vires, & prospera omnium membrorum
valetudo! Redeant in Patriam, post tot atrocissima
nubila, lætissima júbila, quò omnes unâ Tibi voce,
ô Benignissime DEUS! ex intimis pectoris pene-
tralibus, gratias agant immortales!

